

XLVI M. A. SABELLICI

translati sunt, magnificumque donum prosecuta est elegantissima ad Christophorum Maurum, Ducem, universumque Senatum epistola, qua clauditur *Centuria philologicarum Epistolarum*, a Goldasto in lucem emissā. Declarat ibi cauſas Bessarion, quibus adductus Reipublicae maluerit, quam alii cuivis Principi, eos donare. Aliae autem duea causae addi possunt: quarum altera est, quia haud multis ante annis in Venetos patricios erat relatus; altera, ea consuetudo quae ipsum inter & Paullum Maurocenum, Zilii filium, intercedebat, quo hortatore largitionem illam factam esse, infra apparebit. In quibusdam antiquis hujus urbis Annalibus, quos legendos liberaliter mihi commodavit nobilissimus & optimus adolescens, scientiarumque omnium studiosissimus, Joannes-Baptista Venerius, Sebastiani filius, & quorum auctorem fuisse puto, sub exitum decimiquinti faeculi, Antonium Donatum, Equitem, Andreae item Equitis filium, ejus qui Foscari Principi fuit gener, reperio XIII. kal. septembres M. CCCC. LXVIII. arcas triginta manuscriptorum voluminum plenas, quae publico in loco asservanda dono mittebat ad Rempublicam Bessarion Cardinalis, Venetas applicuisse, ei autem qui voluminum comes & custos advennerat, largitum Senatum esse quadringentos aureos nummos. Ejus veritatis habeo argumenta validissima, ex authenticis documentis actisque publicis decerpta, prout extant primo *Regestorum* volumine apud amplissimos rei literariae Triumviros. Prima ejus munificae largitionis mentio ibi fit pag. 30. quo relatum est Senatusconsultum factum X. kal. aprilis anni M. CCCC. LXVIII. cujus haec sunt verba.

„ 1468. die 23. Martii. in Rogatis.

„ Reverendissimus D. Cardinalis Nicenus, qui summo studio & diligentia accumulavit nongenta volumina optima & pulcherrima in utraque facultate latina & graeca pretii circiter 15000. ducatorum, hortatu & suasionibus nobilis viri Pauli Mauroceno contentus est largiri, ac dimittere ea Illustrissimae Dominationi nostrae, cum sit Nobilis noster, & de nostro gremio, ita tamen, ut locum in plateis nostris S. Marci convenientem & capacem deputare velimus, ut possit appellari Bibliotheca S. Marci. Cumque res haec maximum ornamentum allatura sit huic nostrae urbi:

„ Vadit pars, quod praefato Reverendissimo D. Cardinali scribatur, nos acceptasse libenter hanc suam liberalem oblationem, gratias agendo Reverendissimae Paternitati suae verbis convenientibus & opportunis. Et quod proivilium sumus de loco opportuno & apto ad dictam Bibliothecam. Ex nuncque captum sit, quod Collegium nostrum teneatur reducere se insimul uno die hujus septimanae proximae post prandium, & per omnes ratiocinari, & recordari debeant de loco digno & honorabili deputando pro dicta Bibliotheca, & postea ea veniatur ad hoc Consilium ad deliberandum.

„ De parte _____ 175

„ De non _____ 0

„ Non sinceri _____ 0

Ineunte autem majo censuerunt Patres, ut eo in loco ducalium aedium libri reponerentur, qui supra forum est: olim dicebatur vulgo *la sala novissima*, hodie *la sala dello Scrutinio*; ubi etiam quo tempore Sabell-